quemquam hominum nunquam habeat aliquam questionem, sed perpetuij temporibus securè valeat possidere. Desiit verò à regimine idem Abbas Joannes 25.° Kal: Augusti, expletis annis 24. mens. 8. dieb: 25. sed et apud Casinum toto annis 7. exactis. Theodemar substituit Abbas anno Domini 778 Indictione 1.° Ioannes Abb. mor. Ann: 770.

Hoc tempore Carolus magnus filius Pipini invitatus ab Adriano Papa propter Desiderium Regem, super Papiam venit. Hic B. Petro Preceptum genitoris sui sacramento terribili cum suis magnatibus, et filio Pipino confirmavit. Carolus M. Imp. venit ad destruct.m Desiderij Regis Longob.

His verò dicendum qualiter Francorum Regnum institutum sit, vel unde ipsius origo gentis fuerit. Et quomodo in principio Libri hujus compendij gratia aliqua nos in posterum distulisse reminiscimur, que addenda sunt competenti loco inferimus. Regnum enim Francorum à viris tantum Christiane fidei Religione pollentibus. Pipino videlicet à Carolo cepimus: sed horum prime propago originis undè processerit altius repetamus: et quod aliquid necessarium scire cupientibus ibidem invenitur.

Vastitas totius orbis ab Hystoriographis in tres partes dividitur, idest Asia, Europa, Africa. In Asia ergo situm est quoddam oppidum Trojanorum, ubi civitas que Ilium dicta est, posita fuit ibi, prefuit Dux Aneas Gens illa nimis valida in certaminibus, semper inquieta, et sibi finitima debellantes; surrexerunt autem Reges Grecorum adversus Aneam, et gentem illam, et Reges Trojanorum cum exercito magno pugnaverunt invicem, et facta est ab utrisque cedes magna. Fugit Aneas, et recondidit se in Ilium Civitate contra quam bellum firmatum, obsessa, et aggravata est per annos decem. Tandem capta, et subacta Civitate Aneas cum ceteris viris fugit in Italiam ut ibi cum suis protegeretur. Aliqui verò de Principibus ejus Priamus, et Antenor societatis sibi decem millibus fugerunt cum navibus, et per ripas Tanai fluminis, ac meotides paludes ascendentes terminos Pannonie expugnaverunt, ubi ceperunt edificare civitatem quam vocaverunt Sicambria, et ibi habitantes annis multis creverunt in gentem magnam. Preterea post longo sequente tempore, regnante apud Romanos Valentiniano Imperatore, gens atrocissima Alanorum contra d.m Imperatorem. Tunc Imperator commoto exercitu direxit aciem contra eos, quos superavit, trivit, ac debellavit. At illi fugientes inter predictas paludes se municates receperunt. Imperator ergo eos capere volens, nec valens, ait exercitibus suis, ut quecumque gens istos ejiceret ex palude potuissent, esset immunis à tributij, et exactione

Imp-